

noscere veritatem non est formaliter assentiri, sed præbere id super quod cadat assensus.

XXVII. Hoc supposito dicimus quod cognitio, seu apprehensio negationum, et repræsentatio in Deo, vel earum veritatum quæ ex negationibus formatur, sicut chimæ an nihil esse, aut idolum nihil esse in mundo, antichristum non existere, Christum peccare non posse, et similia, repræsentantur, cognoscuntur, seu apprehenduntur a Deo non ad modum entis, et rei positivæ ex parte rei cognitæ, quasi ipsa negatio accipiat ut forma afficiens, et ponens in subjecto, quod non habet in se, sed apprehenditur, ut ablatio et destitutio formæ oppositæ, ita ut per formam oppositam tamquam per aliquid connotatum, vel ad quod ordinatur, Deus cognoscat, non ut formam afficientem, seu ponentem aliquid in subjecto. Et hoc constat ex supra dictis, quia Deus non cognoscit formando per se immediate ens rationis, et hoc probant argumenta p. Arrubal loco supra citato, capite iv, ad hoc enim tendunt ut ostendant Deum non formare entia rationis. Et multo minus in hoc sensu potest Deus habere assensum illius negationis cognitæ ad modum entis, quasi iudicaret esse ens, hoc enim esset aperta falsitas, quod nec nos facimus, quando aliqua fingimus sine falsitate. Cæterum negari non potest, quod multa in his negationibus Deus iudicet positivo assensu, secundum quod assensus opponitur dissensui. Ratio est manifesta, quia multa Deus videt vere dici de his negationibus etiam cognitæ non ad modum entis, sed ut negant oppositam formam, et illis veritatibus Deus debet assentiri, non vero dissentiri, quia Deus nullam respuit veritatem, sed omnis veritatis auctor est. Nam v. g. ista propositio est vera: cæcitas est privatio

visus, et non auditus, cæcitas non est in Petro vidente, tenebræ sunt in aere absente sole, et innumerabilia alia, quæ de negationibus dicuntur, quibus non potest Deus dissentiri, nec nos, quia sunt vera, et non falsa, ergo capacia assensus non dissensus, ergo debet assentiri illo positivo assensu, qui opponitur dissensui, non ea positiva apprehensione, qua per modum positivæ formæ negationes cognoscuntur.

XXVIII. Unde non est necesse adducere, et solvere oppositum fundamentum, quia solum æquivocat de positivo assensu iudicante et formante non ens ad modum entis, quod nos fatemur non dari, non tamen probat non dari positivum assensum circa illas veritates prout opponitur dissensui, sic enim constat Deum non dissentiri multis veritatibus negationum, licet non cognitæ ad modum entis, sed ut in re inveniuntur prout connotant formam oppositam tollendo, et negando ea. Qui dicitur positivus assensus, quia opponitur dissensui, non quia ad modum entis formet rem apprehensam, potius enim ista formatio pertinet ad apprehensionem antecedentem iudicium, quam ad ipsum assensum qui supponit formatum, et repræsentatum id super quod cadit.

Solum circa negationes, vel privationes, quæ attinguntur per scientiam visionis, et tamen in se non habent positivam existentiam, est advertendum quod ad visionem illarum non sufficit videre formam oppositam qua privant, sed etiam subjectum in quo exercent privationem illius, et in ordine ad quod individuatur. Licet enim specificatio privationis sumatur a forma quam tollit, et ita quidditas, et species ejus attingi possit per solam formam oppositam, tamen individuatio, et exercitium formæ ablatæ, per quod co-

gnoscitur ejus existentia, id est, ablatio existentia oppositæ, ut afficiens subjectum, cognosci non potest, nisi per ordinem ad subjectum, et non solum ad formam oppositam. Et quia hoc quod in subjecto invenitur, non potest de facto dari, nisi vel Deo ordinante, seu approbante, vel permittente, oportet quod talium privationum exercitium, et convenientia de facto in subjecto cognoscatur, vel per scientiam approbationis si sit aliquid pertinens ad pœnalitatem, aut naturalem privationem, vel per oppositum quod est permisio si sint mala culpæ. Unde infertur quod quando formæ aliquæ in re existunt, non est necesse attingere scientia visionis negationes talis formæ in re existentis, et sic negationum existentia, et intuitio non sumitur ex eo, quod existat alicubi sua forma opposita, sed potius ex eo, quod non existat in subjecto: et negationes quæ in subjecto non sunt, non videntur. Alias omnia peccata possible viderentur scientia visionis, quia negantur et excluduntur a gratia existente in me.

QUID DE SCIENTIA DEI CIRCA INFINITA?

XXIX. Ultimo, ex his quæ s. doctor determinat articulo xii, constat per scientiam simplicis intelligentiæ cognosci a Deo infinitas creaturas, tam substantias, quam accidentia. Per scientiam autem visionis, videt Deus infinitam substantiam quæ est ipse, sed non infinitas substantias creatas, quia nunquam existent, nec de facto creatæ sunt, aut creabuntur, sed omnia in numero, pondere, et mensura fiunt. Cognoscit tamen infinita accidentia, quia per totam æternitatem durabunt Angeli et homines, qui varios conceptus et actus eliciant, et sic erunt infiniti, et

hos omnes Deus cognoscit simul ex parte cognoscentis, successive ex parte hominum.

XXX. Quod si ex hoc inferatur, quomodo si infinitæ cogitationes erunt successive in tota æternitate, et illæ jam dantur simul in æternitate coexistentes Deo, non verificetur quod datur infinitum actu categorematice, si quidem in æternitate sunt simul, quæ successive erunt in beatiss. Ex hoc autem rursus enervatur illud principium, quod probat D. Thomas in hac prima parte, quæst. vii, art. iv, non dari infinitum in numero, quia infinitum non potest cadere sub unica intentione producentis, et eodem modo quodlibeto xii, art. ii ad ii, docet infinitum non repugnare simul produci ex parte potentiæ Dei, quæ etiam infinita est, sed ex modo producendi, quia infinitum non potest esse aliquid formatum per ideas divinas, et per intentionem Dei. Si autem possunt omnia esse in æternitate, jam cadunt omnia sub unica actione Dei, et consequenter sub unica intentione et formatione cadere possunt. Sed respondetur quod sicut dicit D. Thomas quodlibeto citato quod non repugnat infinitum ex parte potentiæ facientis, sed ex modo faciendi, ita dicimus quod non repugnant infinita simul ex parte Dei, sed ex parte rei factæ, sicut patet quod in intellectu Dei sunt simul infinita, et actio Dei ad infinita respicit, similiter æternitas infinita ambit quæ in se, et in propria mensura seu ex parte rei factæ passive, et in propria mensura non sunt simul, sed successive, atque ita esse simul in æternitate, non est esse simul simpliciter, sed ex parte Dei, mensuræ infinitæ, quæ ambit simul omnia, quæ successive sunt in tempore, et ita simultas ex parte æternitatis non facit infinita esse simul in tempore. Non expugnant autem quod infinitum conti-

neatur in aliquo finito præexistente, quia in eo continetur modo infinito, et multo minus quod contineatur in aliquo infinito præexistente sicut ex Dei potentia, intellectus vel æternitas, quæ omnia successiva modo immutabili continet. Sed est inconueniens quod unica et determinata intentione fiant infinita simul in sua propria mensura, et non in aliquo priori contenta, quia sic intentio non habet unde determinationem sumat ex parte rei factæ, nec quomodo sub uno fine determinato includantur qui sit finis proximus et creatus. Videantur quæ dicimus III phys. q. xv, art. II, circa finem, et art. III ad IV.

DISPUTATIO XIX.

DE SCIENTIA FUTURORUM ABSOLUTE EXISTENTIUM.

ARTICULUS I.

Proponitur difficultas de ratione formali cognoscendi futura ex parte Dei.

QUÆDAM PRÆNOTANDA.

I. Quid nomine futuri intelligendum sit, et in quo ratio formalis futuritionis consistat, quidam nimis anxie quærunt, ejusque difficultatem exaggerant. Alii etiam contemnunt, et supponunt potius quam explicant. Tota vero difficultas est in explicando quid futuritio in ipsa re futura addat, quo possibilitatem evincat, et extra limites rei pure possibilis extrahatur ad futuritionis statum, an sit per aliquam habitudinem rei ipsi additam, an per aliquid reale vel rationis, et quid illud sit.

II. Futurum dupliciter sumitur.

Uno modo pro futuritione in causa, quæ non est aliud quam ordo et inclinatio causarum ad producendum aliquem effectum. Alio modo pro futuritione in effectu, id est, pro exitu seu eventu ipsius rei nondum in reposito. Constat hæc distinctio ex D. Thoma quæst. XII de veritate, art. x, in corpore et ad VII et VIII, et in quæst. VI de veritate, art. I, et q. II de verit. art. XII ad IX, ubi ponit aliqua futura sciri a Deo, quæ non erunt futura, scilicet in effectu, sunt tamen futura solum in ordine causarum, et hæc vocantur a nobis futura conditionata, de quibus disputatione sequenti. Quia tamen aliquo modo exeunt a linea pure possibilium, etiam futuritionem eorum hic consideramus. Igitur futuritio in causis facile explicatur quid sit scilicet ordo ipse, et dispositio causarum, quia inclinatur de se ad effectus tales, vel tales producendos, quia ratione loquitur philosophus de futuro cum dicit II de generat. textu LXIV: « Quod futurus quis incedere non incedet, » id est, futurus in causa impeditur incedere. Et ut D. Thomas advertit loco citato ex quæstione XII de veritate: « Quæcumque virtus creata non potest cognoscere futura in se ipsis immediate, sed solum fertur cognitio de futuris in ipsum ordinem causarum, sicut medicus secundum hoc dicitur futuram mortem præscire in quantum scit naturalia principia esse ordinata ad defectum mortis. » Igitur futuritio in causa est ordo causæ, et dispositio inclinans ad producendum effectus potius quam non producendum, sicut possibilitas rerum in causa non est aliud quam causa, ut potens producere illos sine alia determinatione, vel dispositione inclinante, ut de facto producat.

III. At vero futuritio ex parte ipsorum effectuum, seu objectorum difficiliter explicatur, sicut etiam pos-

sibilitatis objectiva ex parte rerum faciendarum, quid videlicet addat supra ipsam entitatem, vel possibilitatem futuritio. Consistit enim futuritio simpliciter, et in rigore in ipsa existentia rei pro aliqua duratione, seu differentia temporis cum negatione incæptionis. Et dico cum negatione incæptionis, quia per hoc distinguitur a præsentem, et præterito, præsens enim incæptionem habet, vel habuit cum conservatione existentie suæ: præteritum etiam incæptionem habuit sine conservatione existentie, quia transiit. Futurum vero dicit existentiam, neque incæptam, neque conservatam, aut durantem. Et sic in rebus creatis existentia ante incæptionem est futuritio. Ad hoc vero non requiritur quod in ipsa re futura detur aliqua realitas, vel mutatio realis supra statum possibilitatis; hoc enim impossibile est, cum nulla actio, vel mutatio exerceatur circa rem possibilem, ut transeat ex statu possibilitatis ad statum futuritionis. Alioquin si aliquid exerceretur, jam aliquid incæpisset in tali re, et sic non esset duratio futura seu existentia, pro aliqua differentia temporis ante incæptionem. Dixi autem in eo consistere futuritionem simpliciter, et in rigore talem, quia loquor de futuro quoad esse, et productionem, quod est simpliciter futurum, non de futuro solum quoad continuationem, et perseverantiam, sicut ego, qui jam hodie existo, dicor cras futurus, id est, perseveraturus, non futurus simpliciter. Quod autem simpliciter futurum dicitur, per illos duos conceptus præcise constituitur, scilicet quod dicat existentiam pro aliqua duratione cum negatione incæptionis. Et hoc patet, quia res sub his duobus conceptibus non mensuratur præterito, aut præsentem, quia nondum incæpit, nec transiit. Nec est pure possibile, quia importat

existentiam pro aliqua duratione successiva, ergo est futurum.

IV. Si autem roges, ubi est hæc existentia, et hæc negatio incæptionis, aut a qua forma fit talis denominatio, respondetur hanc existentiam actu in re non esse, sed fore, ideoque subjectum actu non habet, sed habebit. Sicut autem omnis existentia licet de facto sit præsens, et efficiat aliquod subjectum, derivatur tamen, et dependet a causis suis, a quibus res producitur, ita existentia futura cum creata sit, et a statu possibilitatis ad futuritionem ita transeat, quod potuisset non transire (multa enim alia manserunt in statu pure possibilitatis quæ nunquam erunt) ita existentia ut futura dependet, et sumit denominationem a causis suæ futuritionis, a quibus habet denominari extra statum pure possibilitatis, hoc enim, quod est res aliqua, v. g. antichristum non esse relictum in statu pure possibilitatis sicut aliæ multæ creaturæ, quæ solum sunt possibles, sine dubio causam habet. Causæ autem istæ, vel sunt causæ secundæ creatæ, vel causa prima. Causæ creatæ per se solæ non sufficiunt extrahere res omnes a statu possibilitatis per se ipsas, tum quia multæ res per creationem extrahuntur, quæ a causis creatis emanare non possunt, tum quia ipsæ causæ creatæ extrahi etiam indigent a pura possibilitate, quia creaturæ sunt: tum, quia plures causæ ex istis sunt impedibiles, et contingentes, et si quæ necessario operantur, id habent a Deo et dependent ab ipso, qui solus immutabiliter, et cum infallibilitate operatur. Quare futuritio rerum simpliciter est denominatio libera in creaturis orta a voluntate, et dispositione libera Dei, ita ut sicut res dicuntur possibles absolute denominatione sumpta a potentia divina, ita futuræ dicuntur istæ, res potius quam illæ,